

et varietate floridiora sunt in picturis novis pleraque, quam in veteribus? Quae tamen, etiamsi primo aspectu nos ceperunt, diutius non delectant; quum iidem nos in antiquis tabulis ab ipso horrido obsoletoque teneamur. Quanto molliores sunt et delicatiores in cantu flexiones, et falsae voculae, quam certae et severae? quibus tamen non modo austeri, sed, si saepius fiunt, multitudo ipsa reclamatur. Licet hoc videre in reliquis sensibus? unguentis minus diu nos delectari, summa et acerrima suavitate conditis, quam his moderatis; et magis laudari, quod ceram, quam quod crocum olere videatur: in ipso tactu esse modum et mollitudinis et laevitatis. Quin etiam gustatus, qui est sensus ex omnibus maxime voluptarius, quique dulcitudine praeter ceteros sensus commovetur, quam cito id, quod valde dulce est, aspernatur ac respuit? Quis potione uti, aut cibo dulci diutius potest? quum utroque in genere ea, quae leviter sensum voluptate moveant, facillime effugiant satietatem. Sic omnibus in rebus voluptatibus maximis fastidium finitimum est.

Acad. prior. II. 17. Illud dicimus, non eandem esse vim, neque integritatem dormientium, et vigilantium, nec mente, nec sensu. Ne vinolenti quidem quae faciunt, eadem approbatione faciunt, qua sobrii: dubitant, haesitant, revocant se interdum, hisque, quae videntur, imbecillius assentiuntur: quumque edormiverunt, illa visa quam levia fuerint, intelligunt. Quod idem contingit insanis; ut et incipientes furere, sentiant et dicant, aliquid, quod non sit, id videri sibi: et, quum relaxentur, sentiant, atque illa dicant Alcmaeonis:

Sed mihi nequitiam cor consentit cum oculorum aspectu.

Acad. prior. II. 7. Sensuum ita clara iudicia et certa sunt, ut si optio naturae nostrae detur, et ab ea Deus aliquis requirat, contentane sit suis integris, incorruptisque sensibus, an postulet melius aliquid: non videam, quid quaerat